Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 893
Quelle:
Copyright:

quam *nuper* datam ait. Incertiora ſunt, quae ibi de Autore conjectantur *Paulo* vel *Petro* Presb. *Pannonio*. Ut enim ille teſte *Gennadio* c. 75. ad *Conſtantiam* quandam de Virginitate ſcripſerit; *Libros* tamen II. is memorat inſignitos *de virginitate ſervanda et contemtu mundi, ac vitæ inſtitutione* vel *morum correctione*, dum Codices *mſs.* noti ſolum *unicum* exhibent; de *ſtilo* is *mediocri* loquitur, dum Noſter praeclare aemulatur *Hieronymum; Joviniamum* denique a *Paulo* reprehendi aſſerit, de quo in Opuſculo noſtro ne γευ quidem. Itaque alius quaerendus foetui parens, atque is eſt *Sulp. Severus* ad Sororem ſuam *Claudiam*, cujus et aetas congruit, et nomen praefert vetuſtiſſimus Codex Coll. *Trinitatis Cantabrig.* e cujus apographo Opuſculum iſtud epiſtolare edidit *Steph. Baluzius* L. I. *Miſcell.* p. 335. Non deſunt in *Codice* Lectiones, quibus impreſſa perficiantur. Sic ſpeciminis ergo, dum haec mox ſub initium habent: *Digna revera Domino hoſtia tam pretioſi animalis oblatio, et nullius magis, quam ſuæ imaginis, hoſtia placitura*, Codex legit: *Digna reuera domino tam precioſi animalis oblatio. et nulla magis ei quam imaginis ſuę hoſtia placitura.* Et mox impreſſa: *Grande eſt et immortale, et pene ultra naturam corpoream, frenare luxuriam* &c. Codex: *Grande eſt enim. et mortalem pene ultra naturam, corpoream ſopire luxuriam* &c.

II. *fol.* 22. p. 2. ἀνεπιγραφως Opuſculum exhortatorium ad Matronam conjugio ligatam, quod incipit: *Vetus Scripturę celebrata ſententia eſt. eſſe pudorem quo gloria inueniatur et gratia* &c. Inter *Epiſtolas Hieronymi* legitur edit. *Vallarſ.* T. I. *col.* 1089. inſcriptum *ad Celantiam matronam*, ſed *Hieronymo* abjudicatum, ab aliis ad *Paulinum*, ab Editore vero mox dicto, ſubtimide quidem, ad *Sulp. Severum* refertur, cui conjecturae id ſubfragari poſſit, quod in praeſenti Codice *Severi* Opuſculum continuo excipiat, ejusque ſtilum ſatis exprimat. Collationi non inopportunum eſſe, vel id ſuadet, quod paullo poſt initium Impreſſa legunt: *magna quadam fidei violentia*, et *animum in utroque nutantem;* Codex vero: *magna quodammodo violentia*, et *animum inter utrumque nutantem*, quae utique caſtigatiora ſunt.

III. *fol.* 44. a manu Sec. XIII. Inſcriptio: *Hinc uerba et fides Rufini usque ad ſequens Capitulum.* Nequis hac Inſcriptione decipiatur, en initium: *Audiui quosdam cum apud Beatitudinem tuam controuerſias ſiue de fide ſiue de alijs neſcio quibus queſtionibus commouerent* &c. Non igitur *Fides* illa eſt *Rufini Syri* XII. Anathematiſmis conſtans, quam *Joh. Garnerius* ad *Mar. Mercatoris* Opera T. I. p. 114. vulgavit, nec ille prolixior *Libellus Fidei*, quem poſt *Jac. Sirmondum* idem edidit et illuſtravit *loc. cit.* p. 286.